52720/P

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
FEBRIBUS CONTINUIS MEDENDIS.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

THOMAS WITHERS,

BRITANNUS.

Ad diem 12. Junii, hora locoque ſolitis.

Eadem medicamenta ſaepe ſalutaria, ſaepe vana ſunt.

CELSUS, Lib. VII.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M, DCC, LXXII.

To

Mr Ligertwood
from sincere friend
T. Withers

To

Mr Ligertwood
from his sincere
friend the
Author

316865

Viro celeberrimo,

JOANNI DEALTRY, M. D.

Ob morum elegantiam, urbanitatem, humanitatem,

Dilectiſſimo;

Apud paucos illos,

Qui de medicina bene meruerunt,

Peritia, doctrina, laboribus,

Inclytiſſimo;

Ob illius et benigniſſimam aſſiduitatem,

Veram, fere dixerim, pietatem,

Erga Patrem mihi cariſſimum,

Morbo olim tentatum,

Et

Alia beneficia,

Mihi, grato pioque animo, ſemper colendo;

Haec, qualiacunque ſint, dicata

Volui

THOMAS WITHERS.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30386548

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

FEBRIBUS CONTINUIS MEDENDIS.

PROOEMIUM.

QUUM, ex morbis, nulli aut frequentiores aut funeſtiores febribus continuis occurrant, de earum cauſis, diagnoſi, et prognoſi, primas noſtrae doctrinae lineas curſim praemittere, operae pretium erit. Quis enim, ex tanta et tam diverſorum remediorum copia, ea quae curationi perficiendae aptiora ſint, pro rebus morbum circumſtantibus, ſeligere potis erit, niſi certis principiis tota nitatur ejus praxis? Ut igitur nos quoque praecipua principiorum capita, quibus, quaſi Ariadnaeo filo, ducimur, hoc in Therapeiae Labyrintho, ſtabiliamus, pauca praefari ſatius duximus, ſi non proprio ex penu, ſaltem ex documentis, quae alma hac in academia, et in auctorum libris, quantum in nobis fuit, haurire potuimus.

SYNOCHA, typhus, et ſynochus, febres ſunt hic perpendendae. Dicuntur continuae, quia non, ut in in-

A termittentibus,

termittentibus, apyrexiam alternant, nec, ut in remittentibus, evidentem remiſſionem. Simul tamen notandum, febrem ſtricte continuam vel continentem nuſquam dari; omni quippe febri, licet aliquando obſcure, ſemper tamen aliquatenus, remitti et exacerbari competit; id quod accurata recentiorum obſervatio abunde confirmavit. Synocha eſt febris inflammatoria, in frigidioribus praecipue terrarum regionibus ſaepius ſe oſtendens; robuſtis et ſanguineis temperamentis maxime infeſta. Typhus autem, Culleno, in Noſologia facile primo, definiente: "Morbus contagioſus; calor parum auctus; pulſus parvus, debilis, plerumque frequens; ſenſorii functiones plurimum turbatae; vires multum imminutae." Lindi febris contagioſa, Pringelii febris carcerum, et Huxhamii febris nervoſa, ad hoc genus referuntur. Putredinis ſymptomata comites nunc ſeſe jungunt, nunc abſunt, haud morbo eſſentialia. Synochus etiam contagione ſe diffundit: Incipit ut febris inflammatoria; ſed progreſſu in typhum citius ſeriuſve deſinit. Hac in Inſula crebro occurrit; quod forſan partim ex diatheſi inflammatoria, omnibus bene nota frigoris progenie, partim ex Britannis inſito robore deducendum eſt. Putrida acrimonia, ſpeciatim ſub fervido coelo, ſynocho interdum conjungitur, quae nonnihil ſane morbum variat. Velim tamen obſervetur, typhum et ſynochum ad ſe invicem ita gradatim accedere, ut limitibus accuratis ſaepius fere omnino careant.

CON-

Contagio, miaſma, et frigus, horum morborum ſunt cauſae remotae praecipuae, ſine quibus, ni fallor, vix unquam gignitur ullius momenti febris continua. Frigus, maxime ſi corpori calefacto applicatum fuerit, haud raram ſynochae cauſam eſſe, medicis ſatis innoteſcit. Contagioni et miaſmatis typhum et ſynochum imprimis aſcribimus; quamvis, horum venenorum actioni ſaepe adſiſtere frigus, lubenter concedamus. Contagium eſt effluvium a corpore, febre afflicto, ortum, quod, ſano admotum, morbum eundem movere poteſt. Miaſma quoque effluvium eſt, quod vel a corpore, non febricitanti, vel forſan a putridis, ſuam trahit originem. Coactis effluviis, quae miaſmata conſtituunt, et loco in anguſto nec ſatis perflato retentis, ſaepe merito attribuitur febris; inde in caſtris, navibus onerariis, carceribus, noſocomiis, ubicunque demum homines conferta multitudine collocati ſint, typhus et ſynochus peſſimae notae cum ſaepiſſime tum facillime naſcuntur. Contagium et miaſma vi ſedante, et interdum ſeptica pollent; corpori humano applicata, in naturam nervoſam potiſſime agunt; cerebri energiam minuunt; atque toti ſyſtemati debilitatem inferunt. Sic quidem operatur frigus. Univerſae autem naturae ſtimulo eſt calor; ejus genialem virtutem, ſine qua vitae nihil foret, nulla planta, nullum animal, per totum terrarum orbem non agnoſcit. Contrarias autem partes agit frigus; quando enim ſatis potenter et diuturne corpori applicatur, nervos eo multum debilitari, immo et ſtuporem, ſomnum, coma, atque mortem, haud raro

induci,

induci, nemo inſicias ibit. Inde frigus ſebrim gignere, quatenus ſedantem exſerit vim, credimus. Aliae inſuper cauſae febrium remotae ab auctoribus enumerantur, eaeque ſaepe praediſponentes et occaſionales, ſed quae non, niſi febrem leviſſimam, unquam per ſe movent. Huc referuntur crapula, alimentum quantitate deficiens, aut qualitate malum; veneris exceſſus; vigiliae nimis protractae; immodicae mentis vel corporis exercitationes; ſtatus convaleſcens; magnae evacuationes, praecipue rubri ſanguinis; exercitatio corporis, maxime ſolita, neglecta; animi nonnulla pathemata, potiſſimum timor et moeror: Quae profecto cauſae vi plurimum diſcrepant; ſed fere omnes corpus debilitant. Quodcunque autem debilitat hominem, contagionis, miaſmatum, vel frigoris, viribus ſedativis eum magis obnoxium reddit.

Summis difficultatibus adhucdum involvitur febris cauſa proxima. Nondum ſane noſtra doctrina hac in parte abſoluta eſt, nec ſuis bene multis defectibus caret: Si tamen praecipuos veriſimilitudinis characteres prae ſe fert; ſi cauſarum remotarum actioni apprime congruit; ſi plurima ex febrilibus phaenomenis ad amuſſim explicat; ſi indicationibus ſatis apte praebet locum; ſi factis nixa, ad facta itidem nos perduxit; eam breviter hic tradere profecto non pigebit. Auctum ſanguinis circuitum, et celeriores cordis contractiones, febrium eſſe cauſam proximam, remotaſque fere omnes ex ſtimulo hunc in effectum ſpectare, Boerhaavio perſuaſum fuit: "Sic patet evidenter," inquit

quit ejus Commentator, "omne illud, quod, ut cauſa, "producit illam velocitatem pulſus, etiam producere "febrem; et praeterea omnes ſunt febris cauſae, quae "venoſi ſanguinis motum cor verſus accelerant, et "quae ſtimulo ſuo adeo facile irritabile cor velocius "moveri faciunt." Hic vero, ni fallor, Boerhaavius erravit. Si omnis febris ex febrili calore initium caperet, probabilitate quidem non careret haec ſententia. Sed, contra, calorem ſemper antecedit frigus, quod ſane quomodo tali ſtimulo efficiatur, non facile explicabunt Boerhaaviani. Eorum idcirco theoriam derelinquimus.——Contagionem, miaſmata, et frigus ſedantia eſſe, ut aſſeruimus, conſtare putamus. Eorum ſedans potentia in genus nervoſum primum praecipuos ſuos edit effectus, languorem, ſcilicet, laſſitudinem, motus averſationem; mentis facultatum hebetudinem; ambientis atmoſphaerae frigori inſolitam ſenſibilitatem; per totum corpus, ſed maxime in partibus extremis, frigoris ſenſum, horrorem, frigorem, pulſum naturali debiliorem ac frequentiorem; appetitum denique cibi ſemper imminutum, interdum omnino ſublatum. Haec ſunt omnis incipientis febris prima ſigna; quae cerebri diminutam energiam plane deſignant, ſatiſque oſtendunt cui debeantur cauſae. Ex his phaenomenis, veriſimillimum nobis videtur, in febribus, ſed ſpeciatim contagioſis cunctis, primo occurrere ſtatum debilitatis.—Huic debilitati ſtatim ſuccedit, quaſi ab ea pendens, vaſculorum extremorum ſpaſmodica conſtrictio; quam primus bene probavit Hoffmannus, et

cauſam

cauſam febris proximam credidit. Nec ea Boerhaavii ſagacitatem latuit: "Aliquid ibi haeret," inquit ille magnus vir, "ad extrema capillaria, ob ſibras horum "ſpaſmo contractas, et hinc arctatas." Eandem ſententiam ſtrenue defendit Van Swieten. Talem vaſorum extremorum ſpaſmum, perſtante frigore febrili, ſequentia donotant ſigna: Superficiei corporis pallor; os et labia, et tota cutis, arida atque ſicca; perſpiratio diminuta; urina limpida; ulcerum exſiccatio; tumoreſque ſubſidentes. Gaubius etiam ita ſentit.—Quae praeſtruximus, firma videntur; et inde apparet, ut opinamur, debilitatem et extremorum ſpaſmum, febrium cauſam proximam eſſe. Si haec concedantur, non explicatu difficilis erit febrilis calor; quippe qui pro temperamento et vigore corporis variatur. Hoc phaenomenon ad humanae oeconomiae legem bene notam jure referetur; corpus nimirum animale ita a Deo Opt. Max. fabricari, ut, vires modo non omnino deſint, quandocunque a ſtatu ſano aberraverit, ad priſtinam ſanitatem ſeſe reſtituere conetur. Haec lex vires naturae medicatrices conſtituit, vel *Autocrateiam*, inter medicorum ſcholas tam praeclaram, de medicis tam bene meritam, cujus ope in arte medica tantum nominis ſaepe conſequuti ſunt. Debilitas et vaſorum extremorum ſpaſmus aberrationem a ſtatu ſano plane denotant, quam removere molitur natura per auctam cordis et arteriarum actionem, quae ad vim cerebri renovandam, et ſpaſmum reſolvendum, directe pertinent.

PROG-

Prognosis ex ſymptomatibus, quae ad mortem tendunt, deducimus, potius quam ab iis quae ad ſanitatem; quia nobis haec ſunt longe obſcuriora: Virium naturae medicatricium natura, praecipue in febribus, nos fere omnino latet. A cordis reactione praeter ſolitum concitata, aut contagii vel miaſmatum venenis, febricitantes morti occumbunt. Duplici modo operantur haec venena: Vel vim vitae diminuendo, integrum cerebri collapſum ſive mortem inducunt; vel vitam deſtruunt, corruptionem, ſumma debilitate comitatam, corpori inſerendo. Inde, ſi notas immodicae reactionis, debilitatis, vel corruptionis, aut ſymptomata quibus denotatur, ſtimulantium, ſedantium, vel ſepticarum virium exceſſum indigitaverimus, prognoſin eruere poterimus. Nimia reactio oſtenditur, per pulſum velocem, frequentem, validum, ac durum; per calorem plurimum auctum; per urinam parcam atque rubram; per cutem aridam; per linguam ſiccam, et cruſta ſaepe obductam. Hic etiam ſitis magna; alvus aſtricta; et ſanguis miſſus in ſuperficie vim lymphae coagulatae, ſive cruſtam inflammatoriam, oſtendit. Haec ſymptomata initio febris ſeſe manifeſtant, et diatheſi inflammatoria et pertinaci extremorum conſtrictione ſtipantur: Arguit talis reactio conſtitutionem corporis vegetam; et unquam per ſe, ut ego putem, neminem e medio tollit. Ad eam tollendam, multum valet ars medendi. Attamen, ea per totum corpus perſtante, imprimis cavendum, ne partes, vitae perquam utiles, inflammatione corripiantur; inde naſcantur

phreni-

phrenitis, peripneumonia, pleuritis, et viſcerum abdominis inflammationes, quae per ſuppurationem, per ſanguinis in telam celluloſam effuſionem, aut gangraenam, terminantur, atque mortem ſaepe adferunt. Plerumque, progreſſu febris, debilitas magis formidanda ingruit, et, aucta cordis actione, inflammatione nulla comitante, longe periculoſior; eo quod nimias corporis vires frangere, longe facilius ſit medico, quam eaſdem reficere. Debilitas tandem, in totalem cerebri collapſum abiens, nulla inflammatione ibi manifeſta, ut cadaverum inſpectione ſaepe patuit, frequenter aegrum occidit. Vires corporis eo plus deficere intelliguntur, quo languor, laſſitudo, ac ſimplex in motu voluntario debilitas, gravior et inſignior; vultus quo triſtior ac pallidior; oculi tardius moventes, in oblata objecta minus attente fixi; quo animi dejectio, mortis terror, ac deſperatio vehementior; quo lingua manuſque magis tremulae; pulſus quo magis parvus, debilior, frequentior, et omni modo inaequalior; quo vertigo et tinnitus aurium graviores, crebriuſque animi deliquium; quo tendinum ſubſultus, oculorum contractiones, et corporis aliarum partium ſpaſmi, ac convulſiones frequentiores et terribiliores; ſenſus interni quo magis perturbati; oblivio major, deliriumque conſtantius; quo longior agrypnia et pertinacior; quo torpores et coma graviora et durabiliora; quo appetitus magis proſtratus, ac nauſea et vomitus frequentiores et ſeveriores; aeger quo ſurdior; quo viſus magis erroneus, et objecta non praeſentia videri frequentius

quentius putantur; et manus quo magis tangi reſugientes, ludentes, et carpentes; quo corpus revera frigidius, vel partes extremae; vultus Hippocraticus quo notabilior; quo reſpiratio debilior, frequentior, laborioſior, ſublimior, et crebris ſuſpiriis luctuoſior, ſine topico pulmonum malo; quo ſudores frigidi, viſcidi, et partem corporis tantum occupantes, copioſiores; vox quo magis fracta atque humilior; quo deglutitio difficilior; atque foeces et urina minus retentae. Antea notatum fuit, cerebri inflammationem, dum nimia reactione totum laborat ſyſtema, aliquando oriri; ſed jam obſervare abſonum non videtur, ſub finem febris occurrere etiam ſimilem affectionem, maximae debilitati conjunctam. Inde corporis diſſectione conſpicitur cerebri ejuſque meningum inflammatio, ſuppuratio, vel gangraena. Sympatheticae hujuſce phrenitidis ſigna nonnihil dubii prae ſe ferunt; eam tamen adeſſe ſuſpicionem praebent, lucis et ſoni intolerantia, magnus capitis dolor; faciei et oculorum vividus rubor; conſtans cum furore delirium, pervigilium, jactatio, anxietas; ſpaſmi vel motus convulſivi; pulſus parvus, frequens, et contractus; urinae limpidae ſubito copia profuſa. Quandocunque igitur talia occurrunt, viribus corporis multum labefactis, anceps admodum evadit prognoſis, majuſque aegrum tentat periculum; ubi etenim debilitas ſola ſine topico malo praevalet, quam cito depreſſo ex ſtatu in ſanitatem nonnulli reſurgant, vix omnino credibile. Contagio et miaſmata vi

ſeptica tam inſigni aliquando pollent, ut facile ſeſe multiplicent per noſtra fluida, et diverſos putredinis gradus incitent. Talis corruptio, debilitatem comitem habens, pejoris ominis reddit febrem : Stipatur cibi animalis faſtidio ; acidorum et aceſcentium deſiderio ; ſiti paene inexplebili ; oris ingrato ſapore ; halitu foetido ; tetris ructibus ; nauſea, et materiei foetidae crebro vomitu ; alvi dejectionibus frequentibus, liquidis, graveolentibus ; ſanguine livido, diſſoluto, vix cohaerente, citoque putreſcente ; ſpontaneis haemorrhagiis ; menſtruorum copioſiori, vel certius ſanguinis e vagina praeter ordinem fluxu ; urina atque foecibus ſanguine tinctis ; vomitione cruenta ; ſtillicidio ſanguinis e naribus, nunc ex oculis, nunc ex auribus, aliquando etiam ex cute ipſa ; ſanguine ſub cuticulam effuſo, petechias, maculas, aut vibices formante. Criſes criticoſque dies nos agnoſcere profitemur ; et cum Gaubio lubenter diceremus : "Fallor, ni ſua conſtiterit Hippocrati auctoritas, Galeno fides, Naturae virtus et ordo." Obſervatu autem dignum eſt, criſes inter noſtrates accidentes, quae veteribus imperfectae nuncupabantur, in ſynocha circa diem ſeptimum, aliquandoque citius, notari ; ſed in typho, vel ſynocho, circa diem decimum quartum frequentiſſime occurrere. Nonnihil ſupra modum augetur exacerbatio praevia ; et tum dignoſcitur in fauſtum eventum abitura, per ſomnum levem reficientemque vigilias excipientem ; per delirium decreſ-

decreſcens; per pulſum tardiorem, pleniorem, ac molliorem; per linguam humeſcentem, et cruſtas exuentem; per cibi aliquantuli deſiderium, et per redeuntem appetitum; per lenem, et univerſalem ſudorem; per urinam pellucidiorem atque limpidiorem gradatim evadentem, et ſedimentum leve, vix cohaerens, non circumſcriptum, ad vaſis fundum deponentem. Hae ſanitatis redeuntis felices ſunt notae. Diarrhoea, haemorrhagia, ſalivatione, rarius dijudicantur febres.

METHO-

METHODUS MEDENDI.

Hactenus hiſtoriam et theoriam morbi, de cujus medela hic agere praeſertim fuit animus, obiter peregimus. Nunc ad praecipuam opuſculi noſtri partem devenimus, ad methodum nempe morbum vel levandi vel removendi. Hac in parte, ut rite progrediamur, neceſſe ducimus, dogmaticae inſiſtere rationi medendi. Cum autem, ubi de vita hominum agitur, ſolis conjecturis credere ſit nefas, eorum tantum, de quibus per experientiam conſtat, remediorum meminiſſe in animo eſt. Dogmatiſmo autem hunc tantum in finem utemur, ut, quid ſingula valeant, quando et quomodo exhibenda ſint, quid nocumenti inferre poſſint, et quomodo ab hoc caveatur, accurate dignoſcamus. Primum dogmatici medici eſt, indicationes ex theoretico morbi conſpectu probe deductas conſtituere, cum generales, tum magis particulares, ad quas ſua referat remedia, pro uniuſcujuſque natura, viribus, et uſu, quantum docuit medicorum obſervatio.

I. Compescendus exceſſus ſtimulantium virium.

1. Ejus effectibus in ſanguiferum ſyſtema occurrendo.

A. Antiphlogiſtico regimine.

B. Refrigerantibus.

α. Acidis.

a. Acidis.

b. Neutralibus.

C. Syſtematis arterioſi tenſionem minuendo.

a. Sanguinis miſſione.

b. Purgatione.

1. Removendo illius cauſas, praeſertim ſpaſmum extremorum vaſorum; quod fit reducendo determinationem ad corporis ſuperficiem.

A. Internis remediis.

a. Diluentibus.

b. Neutralibus.

c. Sudorificis.

d. Emeticis.

B. Externis remediis.

a. Veſicatoriis.

b. Aqua calida.

II. Obviam itur effectibus ſedantium virium, arterioſi nempe ſyſtematis tonum ſuſtinendo et reficiendo.

1. Frigido potu.

2. Tonicis, Peruviano praeſertim cortice.

3. Stimulantibus.

A. Contrayerva.

B. Serpentaria.

C. Vino.

4. Antiſpaſmodicis.

A. Opio.

A. Opio.

B. Camphora.

C. Moſcho.

D. Alkali volatili.

III. Obvenitur effectibus ſepticorum virium.

1. Vitando remotas putrefactionis cauſas, aliave quae ad hanc augendam tendunt.

2. Evacuando putridam materiam ex ſanguine, iis nempe quae ſudorem promovent.

3. Antiſepticis remediis.

A. Frigore.

B. Copioſa dilutione.

C. Vegetabili cibo.

D. Aceſcentibus et acidis.

E. Neutralibus ſalibus.

4. Tonicis.

A. Frigore.

B. Cortice Peruviano.

De his omnibus fere remediis nunc ſigillatim agendum, ea omnia ſimul dicendo, quae ſingulis competunt, cuivis utcunque indicationi reſpondeant.

I.

Compeſcendus exceſſus ſtimulantium virium quae reactionem conſtituunt:

Regimine antiphlogiſtico. Noſtra in febribus praxis, ni fallor, hoc cardine praecipue vertitur; ſaltem

ſaltem ubicunque plenus duruſque pulſus, totius corporis nimius calor, aegri conſtitutio, &c. validam cordis et arteriarum reactionem, et ſyſtematis virium integritatem, evincunt. Ac mihi equidem nulliter magis venerandus videtur egregius Sydenhamus, quam in ejus conatibus ad explodendum alexipharmacorum calidique regiminis tunc temporis praevalentem abuſum. Quot morti eripuerit homines, quot ſaltem longi morbi taedio liberaverit, contraria praxis, omnibus noſtrae aetatis medicis, ex multorum annorum experientia, ſatis ſuperque patet; nec ullus Sydenhamo meritas denegat laudes.—Externarum impreſſionum ſtimulus eo major eſt, quo major eas comitatur anxietas vel dolor. Quodcunque igitur dolorem movet vel anxietatem, ſedulo vitandum eſt; exempli gratia, quamdiu adaugetur ſanguiferi ſyſtematis actio, ab epiſpaſticis, quae ſemper magis minuſve ſtimulant, dolorem excitant, et ſaepe ſaepius nocuerunt, cavemus. Debiliores itidem irritationis cauſas, ut ligaturas, inaequalia lecti ſtragula, et culcitas, vel incommodam quamcunque plicaturam, ingratos ſapores, odoreſve, lucem, nimioſque ſonos, (praecipue ſi ſymptomata dantur affecti cerebri), omnia mentis pathemata, ſtudium quodcunque, nimiam attentionem, cogitationis conatum, omnem idearum connexam ſeriem, &c. vitare debemus. Ad lucem et ſonum quod pertinet, quandoque dari exceptiones nos haud latet; ſed hae exceptiones generali regulae

haud

haud obſtant, potius eam confirmant. Silentium enim vel obſcuritas his in caſibus vera ſunt irritamenta. Calor et frigus, pro circumſtantiis, ſtimulorum vices agunt; durante enim acceſſu frigoris et horroris, quodcunque frigoris ſenſum in aegro intendit, ſymptomata rigoris, tremoris, et ſpaſmodicae conſtrictionis ſuperficiei, adaugebit; unde magis ſtimulabitur ſanguiferum ſyſtema, et diutius protrahitur morbus. Strenue igitur tunc cavendum, ne aegro admoveatur aliquid quod frigoris ſenſum in illo excitabit. Verum cum integre formatur acceſſus caloris, nullo jam recurrente horrore, externus calor maximum ſtimulum ſeſe praebet. Ne igitur magnus in cubiculo accendatur ignis, ne calidior aegrum circumdet aer, ne ſtragula ſuper illo accumulentur; potius pro more ſolito veſtitus illis ſuperincubet, quam ſubjaceat; vel ſaltem, ſi in lecto nudus recumbat, tegumenta levia et tenuia ſint; brachia lecto, prout lubebit, exſerere illi liceat; frigidiuſculus admoveatur aer.—Et quoniam omnes motus vel muſculorum exertio ſyſtema ſtimulat, prout major eſt muſculorum actio vel debilitas in genere, recumbens erectae corporis poſitura praeſtabit; actio itidem loquendi organa reſpirationis agitat, ſanguinis velocitatem auget, aegrum fatigat, et idcirco prohibenda eſt. Quod ad diaetam obſervandum eſt, alimenta digerendi actionem ſemper plus minuſve ſymptomatica febre ſtipari, eo quidem magis evidente, quo major eſt alimenti ſtimulus; ideoque, quoties jam nimis augetur reactio, ſtimulans diaeta ſedulo vitanda eſt. Omnis igitur

gitur cibus animalis, quoniam alcaleſcentia ſua citius in putredinem ruat, plus nutrimenti proebeat, majoremque ſtimulum, his in caſibus maxime alienus eſt, et ab illo ſtudioſe abſtineat aeger neceſſe eſt; immo et in genere, vel leviſſima juſcula prohiberem. Vegetabili cibo tantum veſcatur aegrotus, farinacea et aceſcentes fructus non tantum impune, ſed etiam utiliter, exhiberi poſſunt. Cereviſia, item vinum, aliique ſpirituoſi et fermentati liquores manifeſte neganda ſunt; quippe quae validius ſtimulant quam par eſt. Excipiantur tamen pauciſſimi caſus, ubi longa conſuetudo ea fecit neceſſaria; et hic etiam quantitas debet eſſe modica et probe diluta. Blandus et aquoſus potus, ut et ipſa aqua, hoc in morbi ſtadio omnium tutiſſime ſitim explebit; ſed cave ne nimia ejus quantitate ſemel ingeſta nimis diſtendatur ſtomachus et impediatur reſpiratio. Tali ergo potu caute adminiſtrato anxietati et ſtimulo ſitis apte obviam itur; minutiſſima implentur vaſa, ſicque ſolvitur eorum contractio; diluuntur fluida, et idcirco ſpeciatim cum diaetae vegetabilis auxilio obtunditur eorum alcaleſcens acrimonia, quae non parum augeretur ſpaſmo peripherico perſpirabili materiei viam occludenti.—Huc etiam referenda ſunt, quaſi neceſſaria antiphlogiſtici regiminis pars, varia media, quibus ſtomacho cruditates, vel acres humores, et inteſtinis induratae foeces eliminantur, mitia nempe emetica, et emollientia enemata, vel refrigeratoria laxantia.—Et haec ſatis ſint de antiphlogiſtico regimine; quo

ſane illud praecipue contenditur, ut exceſſum ſtimulantium virium, ac reactionis cordis et arteriarum occurratur; omni irritatione ſublata, qua nimis excitatur ſanguiferum ſyſtema, nimiuſque generaretur calor. Ex iis denique quae diximus conſtat, antiphlogiſticum regimen non parum conferre ad intercipiendas peſſimi ominis topicas determinationes, quas contraria quidem praxis ſaepiſſime adtulit.

Refrigerantia. Hic perpendenda acida et ſales neutri, quorum uſus inter practicos jamdudum confirmatus fuit; vi ſedante gaudent; nimis concitatum ſanguinis circuitum temperant; minuunt calorem; putredinem in primis viis corrigunt; urinae affluxum intendunt; diaphoreſin bene promovent. Hos praeter effectus, acida vegetabilia et neutralia recte adminiſtrata, laxantis ad inſtar agunt, et alvi aſtrictioni ſemper nocivae occurrunt. Acida vegetabilia autem et fructus aceſcentes ſunt; ex regno minerali, vitriolicum plerumque uſurpatur; quibuſdam commendatur ſpiritus nitri dulcis. Cuncta vaſculis, in os ſe aperientibus, ſtimulum praebent, ſalivae ſecretionem majorem reddunt, ac ſitim compeſcunt. Attamen vegetabilia, quoniam copioſius aſſumi queant, et noſtris cum fluidis facilius conjungantur, et leniter alvum ſolvant, mineralibus plerumque anteponenda ſunt. Acida ſummi uſus aeſtimantur, dum inflammatorius febris ſtatus febricitantem vexat, vel per corpus praevalet putredo. De acidis et ſalibus neutris, ſed maxime nitro, una cautela ſubjungenda, quod nempe

nempe utrumque remedium, quandocunque inflammatorie pulmones plectuntur, tuſſim interdum provocat; tali in caſu igitur parcius aſſumendum. Ex neutralibus, miſtura ſalina ſaepius in uſum venit; et, ni fallor, primum merito tenet locum; efficacior dicitur, quando ex volatili alcali, potius quam fixo, limonum ſucco conjuncto, componitur.

Sanguinis miſſio potentiſſimum eſt remedium, modo rite adhibeatur, et feliciſſimo ſtipatur plerumque eventu; at enimvero, uſque adeo indiſcriminatim ſaepius fuit adminiſtratum, incauto empyricorum juſſu, ut nec ſemel aegrorum vitam in periculum induxerit, immo et multoties revera obruerit. Ut igitur illius uſus apte dirigatur, pauca praefari non abſonum erit. Quamdiu reactio ſyſtematis valida et ſtrenua eſt, una cum majori totius hydraulici ſyſtematis ſtimulo, nimio etiam et calore, nec raro cum conſtitutione plethorica; tamdiu, inquam, nimis impleri vaſa arterioſa manifeſtum eſt, unde major eorum item ſolidi vivi tenſio. Cum autem contractilium fibrarum tonus ex earum tenſione praecipue pendeat, quotieſcunque adaugetur tenſio, adaugeri itidem tonum neceſſe eſt. Cuicunque leges phyſiologiae ſatis notae, hoc argumentum omni exceptione majus ſatis ſuperque patebit. Tenſione igitur et tono ſic adeo adauctis, maximam ſyſtemati irritationem inferri nemo negabit.—Exinde obvium eſt, venaeſectionem, quotieſcunque ſyſtema nimia reactione exagitatur, ſummi momenti remedium eſſe. Sanguiferi

ſeri ſyſtematis plenitudini et tenſioni moderari, ſolidi vivi tonum compeſcere, irritationem removere, cordis et arteriarum nimiam actionem et impetum temperare, anxietatem et oppreſſionem tollere, circulantium fluidorum copiam minuere, ac ſubitam relaxationem inducere, ut longa docuit experientia, apud medicos praeſtantiſſimum ſemper habetur auxilium. Immo et haec fere omnia, parva tantum ſanguinis copia detracta, ſaepiſſime perfici poſſe, ſatis compertum. Antiſpaſmodica inſuper venaeſectionis poteſtas ſilentio non praetermittenda eſt; quoniam enim nimia plethora et reactio varias ſecretiones ſaepius impediant, ex relaxatione ſuperficiei inducta, et miti diaphoreſi, Quis venaeſectionem multum profuturam non videat? Exceſſus ita ſtimulantium virium venaeſectione miro admodum modo mitigatur, et topicis determinationibus efficaciter obviam itur. Quotieſcunque nimirum ſincera incidit ſynocha, Sydenhamum imitari, repetitis venaeſectionibus morbum aggrediendo, ne pigeat. In ſynocho autem, cave ne ſedantis morbi cauſae obliviſcaris, et typhi impendentis, et periculi quod minitatur aegro mox futura debilitas, immo putrefactio, longe quidem magis formidanda eſt, quam nimia cordis et arteriarum reactio; quippe quod omnes ſyſtematis functiones jam tentabuntur, et, ut antea diximus, extra remediorum aleam magis extabit morbus. Ne igitur in ſynocho euſque ſanguinem mittamus, ut cum cauſa febris ſic concurramus inſcii debilitatem inducendo. Quibus ergo

ergo cautelis remedii repetitio urgenda ſit, nunc probe videndum; paucioribus tamen verbis quam poſtularet argumenti dignitas et uſus. Quo majore robore et vigore pollet conſtitutio, quatenus ad eam confert originalis ſtaminum conformatio; quo major ſyſtematis plethora et plenitudo; quo magis ad ακμην acceſſerit aeger, ab aetate nempe quatuordecim circiter annorum ad triginta quinque; quo exquiſitior tenſio et tonus; quo major phlogiſtica diatheſis, et magis inflammatoriis affectibus obnoxius aeger; quo ſaepius hanc evacuationem jam paſſus eſt, vel magis ad haemorrhagias propendet; quo intenſius tempeſtatis et climatis frigus, vel majores coeli viciſſitudines; quo magis evidenter inter morbi remotas cauſas referendum eſt frigus, vel minus ſedantia aut ſeptica ſeſe praebent miaſmata et contagium; quo, acceſſu caloris jam integre formato, initio propior eſt morbus; quo magis continua, vel minus evidentibus remiſſionibus interpoſitis, eſt febris forma; quo magis epidemicus morbus, pro tempore graſſans, ſanguinem detrahi poſtulat; quo magis urgent quae jam adſunt ſymptomata, pulſus nempe quo durior, validior, et frequentior, calor magis aeſtuans, tendentia ad topicas inflammationes magis obvia; eo, inquam, plus ſanguinis mitti opus eſt. Et vice verſa. Velim tamen ne haec generalia praecepta exceptione omni majora putes; ſed in genere credas, quod quidem ex dictis ſatis patet, venaeſectionem in ſynocho, has regiones frigidas infeſtante, quam in ea quae ſub calidiore coelo graſſatur melius ferri: In illa nimirum magis inflam-

matoria,

matoria, in hac autem magis ſeptica vigent ſymptomata. In putridis enim febribus fluido vitali parcendum eſt, cujus ſi nimium prodigi fuerimus, aegrum ſane longe ſanatu difficiliorem efficeremus. In ſincero autem typho, nuſquam utilis venaeſectio. Caute etiam et parce adhibenda eſt in infantibus, ſenibus, et iis omnibus qui nimis irritabili vel phlegmatico pollent temperamento; quippe quod, his in animalis oeconomiae conditionibus, ſanguinis jactura difficilius recuperatur. Sanguine autem mittendo, ſiquidem febrilia adſunt ſymptomata quae venaeſectionem jubeant, nihil obſtat graviditas; nihil menſes; raro enim catamenia ſiſtit venaeſectio. Quali jure ſit repetenda venaeſectio, ex primae effectibus judicatur; quod ex jam memoratis facile deducetur. Nam ſi hi effectus partim ſanguinis miſſionem excipiunt, ſed adhuc ſuperſint vires nimium ſtimulantes, merito ſanguinem iterum mittamus, et iterum quidem prout ſymptomata requirent. Cavendum eſt ne decipiamur, oppreſſo, parvo, duro, et contracto pulſu, plethoram ſaepe comitanti, ſed venaeſectione in plenum et mollem mutabili, quia nempe arterioſi ſyſtematis nimiae tenſioni parvitas debebatur. Verum, ſi poſt venaeſectionem parvus adhuc maneat pulſus et debilis, nulla interim topica phlegmaſia ſatis bene manifeſta, vix iterum mittendus eſt ſanguis. Cruſta quam pleuriticam dicunt, quamplures medicos, Boerhaavii imitatores, hac in re dirigit; ac quidem in genere, ſi ſanguinis prima vice miſſi obtegat, praecipue in iis febribus

febribus quae ad ſynocham propius accedunt, repetendam venaeſectionem, ſatis apte indicare putatur. Tot ſunt tamen et tam minimi ponderis adjuncta, quibus haec impeditur, ut ex illius abſentia prudenti medico vix ullum quid concludere liceat. Quod pertinet ad tempus adminiſtrationis, non ſatis tuto mittitur ſanguis, dum recurrit horror, quo febris ſtadio, pulſus naturali frequentior, debilior, et magis contractus eſt, aeriſque circumfluentis frigore facilius afficitur ſyſtema; ſed, ſimul atque extitit acceſſus caloris, quo citius aperitur vena, eo melius.——Inter optimos venaeſectionis uſus enumeravimus relaxationem; huic favebitur ergo largo orificio, quo ſanguis pleno jactu libere effluat; recumbente corporis poſitura, nec interim ullo utut tranſitorio ſtimulante epiſpaſtico adhibito.—Topica ſanguinis miſſio, ut generalis, nata eſt ad tollendum exceſſum ſtimulantium virium, ubi ex eo topica efficitur determinatio; inflammatoriae enim affectiones, etiamſi, ſicut jam obſervavi, dum nimis excitatur, ſyſtema, ſaepius occurrant, et idcirco ſanguinis miſſionem, cum generalem, tum topicam, requirant; ſaepe tamen etiam partem quandam tantum adoriuntur, praeſente typho, et vel maxime debilitato ſyſtemate. Diſſectis carcerum typho defunctorum cadaveribus, Pringelius invenit, ſaepiſſime apoſtemata in cerebro; quod idem ex aliorum obſervationibus ſaepe patuit. Huxhamius, de febribus putridis diſſerens, frequenter memorat temporalium arteriarum pulſationes, ut et carotidarum vibrationes delirium minitantes, pulſu in carpo interim parvo,

vo, immo et raro. Cum tales occurrunt determinationes, quaſi inflammatoriae conſiderandae ſunt; et quoniam debilitas quae totum tentat ſyſtema ut vena aperiatur non ſinit, topicis ſanguinis miſſionibus oppugnandae ſunt, quibus determinatio ad partem affectam nimia compeſci poteſt, nec tamen adaucta generali ſyſtematis debilitate. Sanguis igitur topice mittendus eſt, vel hirudinibus ſanguiſugis, vel cucurbitis, quae forſan praeſtant, eo quod et quantitatem ſanguinis miſſam accuratius metiri ſinunt, et eandem citius detrahent. Fiat demum evacuatio quam proxime ad partem affectam.

Purgatio. Ex numeroſis excretoriis, quae in alimentarem canalem ſuos effundunt liquores, magna purgantibus fit evacuatio; quae quidem circulantium fluidorum copiam minuit, tum exhalantium in inteſtina apertorum conſtrictionem removet; quamcunque ibi putreſcentis acrimoniae totum ſyſtema irritantis collectionem expellit, abdominalibus congeſtionibus obvenit, ſtimulantium denique virium exceſſum compeſcit. Sed ſimul eſt obſervandum, lentiſſime quidem fieri ex arteriis exhalantibus numeroſis talem evacuationem, et ſic non eam ſubitam conſequi relaxationem hydraulici ſyſtematis, quam conſequitur ex venaeſectione; tum ex inteſtinali tubo fluidis hoc pacto eliminatis, ad ſuperficiem eorum determinationem minui; ſicque periphericae contractionis ſolutioni obſtari. Has ob rationes vix in animum induxerim, purgationi unquam in febribus multum inſiſtendum eſſe, ſtimulantibus,

mulantibus, licet viribus nimis ſyſtema exagitantibus; etenim, ſi illuc pertinet noſtra medicina, ut arterioſi ſyſtematis tenſioni modus ponatur, ut ex circulantibus fluidis quid detrahatur, vel tandem ut ſyſtema relaxetur, utilis eſt venaeſectio, et longe quidem anteponenda. Ad caetera quod attineat, quibus inſerviret purgatio, ſatis erit ſi modica omnino ſit. Ac quidem, quamdiu inflammatoria ſynochae adſunt ſymptomata, tuto et utiliter purgatur, ſi quidem moderate, praeſertim ſi ſanguinem mittere vix audeamus. Sed quamprimum ulla occurrunt ſymptomata, quibus exceſſus debilitatis denotatur, multum evacuare per purgantia noceret, quippe quae eam debilitatem nimis adaugerent. Satis ſit ergo ſi laxetur tantum alvus, ſimul et removeatur ex alimentari tubo omnis acrimonia, quae quidem ibi magis accumulatur, cum ad putreſcentiam vergit febris. Purgantia demum antiphlogiſtici et refrigerantis ſint generis. Laxantia clyſmata ſaepe haud incommode catharticis ſubſtituuntur; et in provecto febris ſtadio ſatis apte id efficiunt, quod volumus; nec interim tendunt ad debilitatem augendam.

Sudorifica. Haec primae noſtrae indicationi ſubjicienda ſunt, quia ad ſpaſmodicam extremarum arteriarum conſtrictionem, quae toti ſanguifero ſyſtemati haud parvam infert irritationem, reſolvendam potiſſimum pertinent. Summis tamen non ſine cautelis adhibenda ſunt, ne externo calore ſtimulantibuſve remediis, ſi promoveatur ſudor, inflammatoria id-

D circo

circo diatheſis nimis intendatur, febris diutius protrahatur, vel in peſſimi generis topicas determinationes, inflammationes, ſuppurationes, effuſiones, gangraenas, cogatur, quas quidem ſudorifici regiminis aſſiduas ſequelas fuiſſe, veteres perlegenti medicos, ſatis ſuperque patebit. Nihilominus tamen extra diſputationis aleam videtur, ſudorem, non paucis in caſibus, caute promotam, non ſolum aegro non nocuiſſe, multum contra profuiſſe; quos caſus breviter hic enumerare non alienum videtur. 1*mo*, Ineunte febre, necdum formato acceſſu caloris, ſudorem elicere prodeſt, teſte Pringelio, qui in ſemet ipſo ſic febri minitanti efficaciter obſtitit.—2*do*, Febre inita, at vix ultra primos paroxyſmos protracta, ſi morbi vehementia et ad citum lethum, ex ſedantium vel ſepticarum virium exceſſu, proclivitas ſatis innoteſcat, ſudor etiam promovendus; inde ab omnibus medicis in peſte et malignis typhis laudatur.——3*tio*, Cum natura hanc evacuationem profuturam fore oſtendit, criticos nempe excitando ſudores, in aegri levamen; his, inquam, ſudoribus ſuis remediis ſatis apte favebit medicus.——4*to*, Poſt alias evacuationes, an ſudor excitandus? An rheumatiſmi Doveri pulvere curatio ad febres itidem eodem cum ſucceſſu tentanda? Doceat dies.——Utcunque ſit, ſive natura ſive arte eliciatur ſudor, ejus natura et effectus attente perpendantur neceſſe eſt. Si nempe nec generalis nec facilis, ſed topicus et viſcidus ſit; ſi febrilia ſymptomata ingraveſcant; ſi calor, anxietas,

durities,

durities, et frequentia pulſus, cephalalgia, ac forſan delirium, ſudorem excipiant; vel, illo manante, non mitigentur; tali evacuationi tunc favere profecto periculoſum. Si contra vel non adſint haec omnia ſymptomata, vel excitatum ſudorem non excipiant; vel denique, etiamſi primo adfuerint, eo evidenter minuantur, prout manare pergit; tunc, inquam, fauſtus eſt ſudor et ſedulo promovendus. Quotieſcunque autem ſudorem vel excitare vel promovere molimur, ſedulo vitetur externi caloris ſtimulus, vel nimia calidorum ſudorificorum vis; ſudor, quantum poterit, ſit modicus, univerſus, et ſatis diu protractus; jaceat æger in laneis ſtragulis vel induſiis, nec nimio veſtium pondere oneretur; ſi vero lanae contactum non facile ferat aeger, et omnino recuſarit, ſaltem et induſium et veſtes lineae pro re nata commutentur: Aliter enim, quamprimum madida exſtiterint, frigus ab evaporatione vel ab impatientia quietis aegrum afficeret; effluviis interim reabſorptis. Nec enim aliquid timendum eſt ex tali permutatione, quam, vel medio ſudore, tutiſſimam eſſe, invitis vulgi praejudiciis, cuivis experto ſatis innoteſcit. Remedia igitur quae hunc in finem adhibenda velim, ſunt acida, neutri ſales, ſpeciatim tartarus vitriolatus, ut nunc ſolet; verum hunc ultimum, niſi majoribus doſibus, quam mos eſt, exhibeatur; quae tutam eximiamque vim ſudorificam illi praeſtabunt, nil niſi iners, ut dicunt, *placebo*, reputamus. Diluentia ſimul et aquoſa fluida identidem aſſumere neceſſe eſt; quippe quae ſudori quam maxime

me faveant. Aliquid ſalviae, igitur, theae, vel ſaſſafras, aquae injiciatur, vel alius demum cujuſcunque grati aromatici, quo ſudor leniter promoveatur, nec tamen ullo cum ſtimulo. His in omnibus tamen ægrorum palato conſulere potius juvat, modo ſcilicet multus exhibeatur potus, illis nec injucundus nec nocivus. Porro, ſi ullo morbi ſtadio vel arte vel natura eliciatur boni ominis ſudor, dum ultra juſtos limites non excitetur ſyſtema, immo et potius videatur ſuadendus lenis ſtimulus, vinum apte dilutum, ut *negus* (prout apud nos dicitur) aliave quavis forma jubere velim. Secundum vinum autem, alcali volatile, modica doſi exhibitum, eidem uſui inſerviet, ſudoremque ſatis apte movebit, ſi fides Pringelio, qui, morbo ineunte, hoc remedio efficaciter obſtat.

Emetica. Multas hujus remedii laudes varioſque caſus, ubi noſtro in Edinenſi Valetudinario, ſummo cum ſucceſſu idem adhibitum vidi, ubi mecum reputo, magna non ſine voluptate ejus aggredior conſiderationem. Emetica duplici exhibere poſſunt modo, vel nempe ut vomitum plenum moveant, vel nauſeam tantum, parvo vel nullo vomitu. Priore modo, cruditates, birioſa vel putrida ſtomachi contenta, quae mole et acrimonia febrium ſane aggravarent, eliminantur; ſimul et biliares vel pancreatici ductus, una cum ſtomachi ut et magni alimentaris tubi partis excretoriis, ita emulgentur, ut abdominalibus congeſtionibus prompte ſic obviam eatur. Vomitus etiam ad ſuperficiem vehementer determinat, ideoque ſpaſmum reſolvit, et ſudo-

rem

rem tuto ſimul et profuſe elicit. At praeſtat ita emetica exhibere, ut nauſea tantum, non integer immediatuſve vomitus, excitetur; diutius enim in ſtomacho remanet emeticum, ideoque validior, et ſtabilior, ad ſuperficiem fit determinatio; praecipue ſi demum pauliſper vomitat aeger; minor etiam ſic fatigatio vel debilitas inducitur, frequentius repeti poteſt remedium, et quoniam parvula illius pars pylorum quoque tranſit, alvus leniter ſolvitur, et laxantis medicinae boni omnes effectus obtinentur. Caveatur tamen ne ſic nauſeabundus aeger nimium potus aſſumat; quippe qui vomitum citius et validius, quam par eſt, produceret, et ſic una remedium ſtomacho rejiceret.——Emetica vulgo adhibita ſunt ipecacuanha, Jacobi pulvis (James's powder) vinum antimoniale, et tartarus emeticus.—Ipecacuanha parvula doſi exhibitum brevi nauſeam et vomitum ciet, ideoque ſtomacho contentis liberando apprime inſervit; verum, quoniam citiſſime operatur, nequaquam eas poſſidet vires, ut nauſeam aliquamdiu continuatam pauca vel nulla evacuatione faciat. Cumque illius ſtimulus, nec tantus nec tam ſtabilis ſit, quam antimonialium; idcirco, inquam, ſi topicam aliquam abdominis affectionem timere licet, ipecacuanha praeſtat. Illius autem tincturae quam pulveris tenacior eſt ſtomachus. Quod ad antimonialia attinet, experientia nunc conſtat, ea inter efficaciſſima in febribus emetica eſſe habenda, ac in genere ſatis tuta.——Jacobi pulvis profecto maximo cum ſucceſſu fuit exhibitus,

exhibitus, et, modo non deficiat operando, vulgo majorem ſic ad ſuperficiem fieri determinationem, quam emetico vino, vel tartaro, reputatur. Cum autem ſalina non ſit haec praeparatio, ejus actio prorſus hoc cardine vertit, ut nempe ſtomachi acido ſolvatur et actuoſa fiat; aliter iners per inteſtina tranſit. Inde igitur et Jacobi pulvis et antimonialia, quaecunque ſalis forma non exhibentur, incertiſſimos omnino edunt effectus; nunc medici exſpectationem penitus fallentia, nunc autem longe validius, quam par eſt, operantia.——Emeticum vinum iis objectionibus non adeo obnoxium eſt. Huxhamio multum commendatur, et ſaepe cum emolumento exhibitum fuit; ſed, quoniam acidum vini, quo praeparatur, non ſemper eadem vi pollet, et quoniam remedium ipſum ſaepe in officinis male ſe habet, nimis hoc incertum crediderim.——Omnibus autem antimonialibus longe ſupereminet tartarus emeticus, in quo omnia quidem reperiuntur quae nobis exoptanda eſſent; ſal nempe, cujus effectus ab acido ſtomachi nunquam pendet, varius quidem, prout magis minuſve ſolubile ſit antimoniale praeparatum, quo componitur; facile tamen, poſt pauca pericula, vel potius, ut oſtendit Dr Sanders, ex ejus ſolubilitate, quid poteſt, dignoſcitur; nauſeam, vomitum, catharſim, diaphoreſimve, prout lubitu, excitat.———Exhibeatur eximium hoc remedium ad $\frac{1}{4}$ vel $\frac{1}{2}$ grani pro doſi, ſingula quaque ſemihora vel hora, ita ut nauſeam aliquamdiu continuetur, donec lenis inducatur vomitus, vel

ſolvatur

ſolvatur alvus. Praeſtat, uti mihi videtur, ſic illud adminiſtrare, quam majoribus doſibus et longis intervallis. Cura temporis adminiſtrationis eſt etiam adhibenda; eo melius emeticum eſt, quo citius exhibetur; ac quidem initio febris morbum non raro ſolvit tartarus, ſi eximiis medicis fides, eo, niſi fallor, quod obſtat, quo minus ſpaſmus formetur. Si vero non ipſo febris initio exhibetur emeticum, ſed quum jam aliquamdiu perſtitit, ſymptomata quidem mitigare, ſed vix penitus removere, poteſt. Quoniam autem febres, vel maxime continuae, et remittuntur et exacerbantur, vel circa horam pomeridianam quo magis regularis, vel veſpere quo major fit exacerbatio, emeticum ſumere potius juvabit. Quocunque febris ſtadio datum ſit emeticum, bonis illius effectus prima vice ut plurimum conſequemur; ſi vero ſymptomata parum levat, vel prima, vel ſecunda, vel denique tertia illius remedii exhibitio, ex ulteriori repetitione vix ullum quid ſperandum eſt. Emeticis illud boni ſaepe efficitur, ut inducatur febris remiſſio, ſicque Peruviano cortici, juxta Jacobi ipſius praxin, tuto et ſaepe proſpere exhibendo locus datur.

Vesicantia. Eorum utut vulgo exhibitorum theoria et uſus vix ab ullis intelligitur; ideoque precarium hactenus et incertum exſtitit hoc remedium. Apud quoſdam enim cantharides habitae ſunt, quaſi viſcoſum ſanguinis lentorem diſſolverent et attenuarent; ſed haec eſt mera hypotheſis, nullo niſa fundamento. Operantur, veriſimile eſt, cantharides in motrices fibras,

bras, vel ut ſtimulus, vel ut antiſpaſmodicum. Parti cui applicatur profecto ſtimulo eſt epiſpaſticum, ibi inflammationem et ſeri effuſionem producens; immo et in quibuſdam caſibus ſtimulus hic in totum ſyſtema extenditur, magnum infert dolorem, pulſum et frequentiorem et duriorem efficit. Saepius tamen mere topicus eſt, nec reliquum corpus attingit; pulſum enim nec citat, nec calorem auget; nae aliquando, ut in peripneumonia, ubi univerſus ſtimulus profecto noceret, epiſpaſtica multum prodeſſe reperiuntur, inflammatoriam diatheſim compeſcendo, et pulſum tardiorem mollioremque efficiendo. Porro, quoniam epiſpaſtici ſtimulus, cum obtinet, ut plurimum tranſitorius eſt, et effuſo ſero evaneſcit; idcirco, inquam, praecipuum epiſpaſticorum effectum eorum ſtimulo nolim tribuere. Poſſitne res expediri, ſi epiſpaſtica vi gaudere antiſpaſmodica credamus, dubium videtur. Quibuſdam magni nominis medicis, bonos epiſpaſticorum effectus obſervantibus variis in morbis ſpaſmodicis, immo et priuſquam ulla fiat illis evacuatio, in colica ſcilicet, aſthmate ſpaſmodico, et in omnibus internis phlegmaſiis, quae, quantum probabili conjecturae aſſequi datur, ſpaſmodica ſtipantur conſtrictione; praecipue antiſpaſmodica viſa ſunt veſicantia. Ac quidem quam mirabili vaſorum ſanguiferorum reti, communicatione ubicunque perfecta, dilatatur cutis, et ex altera parte ea in febribus ſpaſmodice conſtringi, medicis ſat comprobatur. Epiſpaſticum autem ſanguinem, ex ulla ejus retis parte evacuans, multum

multum quidem ad totius tenſionem minuendam, univerſamque ſuperficiem relaxandam, ſicque ſpaſmodicam conſtrictionem ſolvendam, plurimum quidem valere poteſt. Huic tamen theoriae noſtrae arbitrio ſuo quiſque deroget vel addat fidem.—Nec quidem minus fluctuantes epiſpaſticorum, ex praxi et experientia, quam ex opinionum commentis, fuerunt laudes; per quoſdam enim prohibita ſunt in omni inflammatoria febre, quaſi ſtimulantia; alii quidem, nulla ſtimuli ratione habita, ea promiſcue in omni febre vel inflammatorio morbo praeſcripſerunt. Alterutrius tamen ſententiae fautoribus adſiſtere mittentes, quid de epiſpaſticorum applicatione, omnibus bene perpenſis, ſentiamus, libere nunc dicturi ſumus. —Profecto verum eſt, epiſpaſticorum ſtimulum quibuſdam in caſibus magnum eſſe; ideoque, in inflammatoriis febribus ſine topica inflammatione, veſicare dubium eſt remedium. In typho autem, cum jam aliquamdiu perſtitit, nec ullus ſtimuli timor, vel ſub ſynochi finem, ubi jam inflammatoria ceſſarunt ſymptomata, epiſpaſticis uti probant omnes. Verum enimvero, quoniam, plurimis in caſibus, tam fixa et obſtinaciter determinata eſt febris duratio, ut nullis remediis poſſit contrahi, epiſpaſticis nolim initio morbi occupare loca, quae illis ſub finem non ſervaſſe poenitebit, ubi nempe utiliſſima ſeſe praebere pollicentur. Quotieſcunque autem, jam ſatis provecto morbo, lethargicus quaſi torpor et coma occurrunt, epiſpaſtici

applicatio non modo non nocebit, verum et magni uſus et neceſſaria nobis videtur. Immo, et epiſpaſticorum ſucceſſio ſaepe tunc temporis haud parum profuit. Si itidem phreniticum delirium, vel topica demum determinatio in caput, thoracem, vel abdomen indicatur, epiſpaſticum, quam proxime partem affectam applicatum, ſaepe plurimum prodeſt. Removeatur autem, ſimul ac elevata ſit cuticula, et ſtranguriae, ea quae ſufficiat dilutione, obviam eatur.

Fomenta. Ea nonnihil quidem ſtimulant; ſed, ex relaxatione, quam inducunt, vaſorum extremorum vera antiſpaſmodica reputanda ſunt. Cum febris, diatheſi inflammatoria remota, aliquatenus provehitur, vel ex initio, ſi inflammatoria diatheſis non multum praevaluerit, calida fomenta ſemper tuta, ſaepe utiliſſima. Quotieſcunque enim comata, phreniticum delirium, vel ulla demum vehementis cerebri irritationis ſymptomata, qualis efferatus vultus, protervus aſpectus, typhomania, tremores, ſubſultus, convulſivi motus, frequens, debilis, irregularis, et contractus pulſus, &c. occurrunt, nequaquam omitti fomenta velim, quae ſaepe ſymptomata mitigabunt, et pulſum tardiorem plenioremve efficient, et ſomnum conciliabunt, lenem denique diaphoreſin movebunt. Cave autem, ne, in illorum applicatione, plus conturbetur aeger quam neceſſe eſt, aut, inter adminiſtrandum, veſtes quibus integitur madefiant. Illud etiam addendum, fomenta parum valere, niſi ad du-

as

as extrahantur horas. Eodem, quo fomenta, pertinet, pediluvium, aqua calida, et balneum calidum.

II.

Obviam ire exceſſui ſedantium virium.

In omni febre, cujus duratio ad certum quoddam tempus protrahitur, jam obſervavimus debilitatem, quae ut removeatur ſumma ope nitendum, ſemper occurrere; cujus ſigna jam enumeravimus. Fibras muſculares omnes ſaepe uſque adeo afficit, ut ſanguiferum etiam ſyſtema, cor puta et arterias, invadat; ideoque, in peſtilentibus febribus, haec organa multum relaxari, dilatari, et magnitudine multum adaugeri, diſſectionibus patuit. Syſtematis igitur tonum, frigore, tonicis, ſtimulantibus, et antiſpaſmodicis remediis, reficiendum, inde ſatis manifeſtum eſt.

Aqua frigida. Vix operae pretium eſt ea retractare, quae jam compendioſe dicta ſunt de frigoris in humanum corpus effectibus. Ubi modico gradu et tranſitorie admotum ſit, ſtimuli plerumque vices agit; ſupra modum autem et diu continuatum, ſedantis. Hic vero ſtimulantes et tonicos illius effectus tantum aſſequi volumus. In inflammatoriis febribus, ubi obtinet phlogiſtica diatheſis, et intenditur arterioſi ſyſtematis tonus, plurimis medicis dubii reputatur commodi potatio frigida; adeoque vitatur in ſynocha,

et

et initio ſynochi. In typho verum, vel etiam in ſynocho, inflammatoriis tandem ſymptomatibus depulſis, ubi ſyſtematis tonus multum frangitur, frigidum exhibere potum, praecipue calidis in regionibus, calidove anni tempore, nunc apud omnes probatur. Quippe qui, praeterquam quod tonica vi pollet, ſitim felicius explet, jucundumque quaſi cardiacum exiſtit aegro. Suadendum tamen videtur, in topicis inflammatoriis capitis affectibus, faucium item thoracis vel abdominis, frigidum potum omnino prohibendum eſſe.

Peruvianus Cortex. Celeb. Van Swietenio omnino aſſentimur, in nervoſum ſyſtema praecipue operari hoc nobile remedium. Nullus inter medicos neſcit egregiam illius tonicam vim, quam ſane probare non difficile foret in illius effectuum conſideratione, in ſanandis intermittentibus, ſiſtendis gangraenis, et in multis demum nervoſis, ut dicuntur, morbis, ex laxitate et debilitate ortis, plurimum levandis. Quibus uberius explicandis, quum apud omnes conſtat, hic ſuperſedendum eſt. Satis erit igitur ſi practicas paucas obſervationes ſubjunxerimus. In intermittentibus, remittentibus, vel continuis putridis, ubi ſanguis nimium ſolutus vaſis effluit, vel occurrunt petechiae, cortex, quantum ſtomachus commode ferre poteſt, proprium procul dubio et neceſſarium eſt remedium. Magis autem eſt dubium in continuis, ubi ſeptica ſeſe non-manifeſtat diatheſis, quales hac in regione vulgo exiſtunt. Propriis cum cautelis mihi tamen perſuaſum

ſum eſt, corticem et in illis merito adminiſtrari poſſe, licet apud plurimos hoc adhucdum ſit in dubio. *1mo*, Scilicet in typho, ubi frequentes morbi initio remiſſiones obſervantur, ac praecipue poſt tartari emetici vel Jacobi pulveris exhibitionem, hoc in caſu, ut ſupra dixi, Doctor James corticem liberrime, nec non ſaepe multo cum ſucceſſu, adminiſtrat. Eximius et mihi ſemper, propter humanitatem, gratiam, fere et dixerim amicitiam, qua me excepit et docuit, colendus Praeceptor Gregorius, ſaepe in hanc progreſſus praxim, magnis laudibus evehit; ut et illuſt. Cullenus, qui tamen periculum corticis parcius fecit. Sic enim putant febris durationi efficaciter occurri. *2do*, In omni inflammatoria febre et topica inflammatione, ubi arterioſi ſyſtematis tonus jam intenditur, merito quidem nocivus reputatur cortex, nec ulli extant caſus, ubi hoc in ſtadio profuerit. Novimus tamen periculoſiſſimas hujuſce generis febres diu perſiſtere, magna cum debilitate, virium proſtratione, et omni diatheſis phlogiſticae ſuſpicione procul remota, praecipue verſus finem. Quamvis igitur tunc temporis nulla ſeſe praebet evidens remiſſio, corticem exhibere, propter illius tonicas vires, tutum, immo et neceſſarium, reputamus, teſtibus Huxhamio et Pringelio, (qui tamen minorem quam par eſt praeſcribunt doſim) praecipue audentiore De Haen, ingenioſiſque noſtris Profeſſoribus Culleno et Gregorio. *3tio*, Cum ſub finem talium febrium evidenter occurrunt remiſſiones, frigoris acceſſu indicatae, omnibus acceptum eſt remedium

cor-

cortex.—Quantum illius ad adminiſtrationem pertinet, ex parva doſi nihil omnino exſpectandum eſt. Sit a drach. iv. ad vi. prout ſtomacho conveniat. In tertio caſu, ubi remiſſiones occurrunt, ſex horis antequam exſpectetur paroxyſmus, drach. i. ſingula quaque hora ſumendum jure praeſcribit Cullenus; ac in primo caſu ſic quoque praeſcribi poſſe putamus. In ſecundo autem, ubi non evidenter remittit febris, et ſtomachus ut plurimum maxime debilitatur, drach. iv. in die, ſi fieri poteſt, exhibemus. Aliis praeparationibus praeſtat pulvis. Si vero catharſin movet, opio pro re nata huic obſtamus.

Nunc de ſtimulantibus agendum, iis ſcilicet remediis, quibus muſcularium fibrarum excitatur actio. Prona ſunt, quæ diatheſin phlogiſticam inducunt, adeoque ſyſtematis tonum fulciunt, quod quidem praecipuus eſt hujuſce indicationis ſcopus. Satis erit tamen, ſi tria in vulgatiorem uſum accepta conſideramus, contrayervam, ſerpentariam, et vinum.

Contrayerva inter alexipharmaca habetur. Quatenus ſenſibus obviae ſunt illius qualitates, nonnihil ſtimulantes videntur, parvo tamen gradu. Haud parum dubium eſt, an vere proſit necne. Pringelius hoc remedium, una cum nitro et camphora, praeſcribere ſolebat; vix tamen ullo cum effectu, qui percipi potuit; ideoque hoc remedium minus laudatur.

Serpentaria longe validiori ſtimulo pollet, ideoque frequentius in uſum venit; Pringelio aliquando cum

cum ſucceſſu, profeſſoribus autem noſtris minus proſpero, calore nempe ſaepe nimis ſic adaucto.

VINUM. Quotieſcunque cardiacum ſtimulans deſideratur, omnium tutiſſimum et efficaciſſimum eſt vinum. Hoc autem exhibere, praeſentibus adhuc inflammatoriis ſymptomatibus, procul dubio noceret. Cum autem febris contagio manifeſto debetur, et cum inflammatoria diatheſis abeſt, ſed dejicitur animus, pallidus deprimitur vultus, involuntarie profluunt lacrymae, una cum pulſu citato et debili, ad vinum refugimus, ipſo ab initio. Si vero inchoatur febris per inflammatoria ſymptomata, a vino abſtinendum eſt, donec removeantur illa, et fulcienda ſit vis vitae. Velim tamen credas omni quocunque delirio vini uſum non prohiberi. Si enim rationem ſymptomatum febrilium ſubjungere licuiſſet, delirium ex duplici cauſa oriri poſſe obſervemus, vel ſcilicet ex adaucto ſanguinis in cerebri vaſis impetu, ut fit in inflammatoria febre, ubi ad exceſſum uſque abeunt ſtimulantes vires, vel ex energiae nervoſae diminutione, ſive, ut dicunt, *collapſu* cerebri, propter nimis ſedantes vires, quale delirium obſervatur in typho, vel ſub finem ſynochi. Utrique huic delirio quidem ſua ſunt ſymptomata. Priore vinum nocet, poſteriore prodeſt, ut unanimi medicorum conſenſu patet. Quotieſcunque igitur in typho, vel jam provecto ſynocho, hoc delirium magna cum proſtratione, et ſine ullis topicae inflammationis ſignis occurrit, vinum neceſſario exhibendum reputant. Commendatur etiam vinum, ſi, caeteris paribus, ullus adſit ſtupor. Eatenus

tenus igitur conſtat de uſu vini.—Ancipites tamen identidem ſeſe praebent caſus. Jam enim obſervavi topicam ad cerebrum determinationem ſub finem febris aliquando fieri una cum generali debilitate, pulſum ipſum afficiente, eamque delirio feroci, et impetuoſa anxietate, lecti impatientia, effuſis et aliquatenus inflammatis oculis, aliquando et faciei rubra ſuffuſione, conſtante pervigilio, intolerantia lucis et ſoni, nec non praevia magna cephalalgia, indicatam videmus. Cum haec adſunt ſymptomata, et ad tempus durant, Pringelio aſſentimur, timendum eſſe phrenitidem, quam vinum et omnes externos ſtimulos aggravare putamus. Nihilominus tamen cum Vogelio obſervamus, ‘ phreniſmi ‘ ſymptomata admodum eſſe ambigua,’ ac ſaepe ſine ulla topica inflammatione, occurrere. Saltem novimus haec omnia, nulla praeſente febre, plurimis in caſibus maniae obſervari, ubi nullus datur locus inflammationis ſuppoſitioni. Tale quoddam delirium, maniacum quaſi aemulans, febres ſaepe comitari, ſymptomaticum itidem phrenitidem referens, ex illius ſaepe tranſitoria natura, ex uſu vini, opii, et ſtimulorum, ad illud removendum, et ex diſſectionibus praeſertim, ſatis abunde evincitur. Si igitur hunc caſum ſatis accurate diſtinguere datur, vinum libere exhibitum multum profuturum compertum habemus. Fatendum eſt tamen, hanc diagnoſim difficillimam eſſe, et verum emunctae naris medici Lydeum lapidem.—Porro, aliis etiam in caſibus, multi non raro ſeſe praebebunt hallucinationum fontes; nunc enim dubium videbitur, an inflammatoria

ſymptomata

ſymptomata penitus removeantur necne; nunc autem magnae debilitatis ſigna catarrhalibus complicabuntur, vino interim, prioribus magis urgentibus, requiſito. His autem in caſibus cautiſſime agendum; et cunctis adjunctis ſedulo attendendum. 1*mo*, Igitur conſideranda eſt febris duratio; ſi enim jam aliquatenus provehitur, probabiliore conjectura nixis ſtatuere licet, inflammatoriam diatheſin jam depelli. 2*do*, Ægri conſuetudo et uſus: Si enim libere vinum prius aſſumere, ſi ſpeciatim frequenter intoxicari, ſolebat; probabile eſt vinum et tutius et utilius fore. 3*tio*, Illius appetitus vini periculum facere itidem ſuadebit. 4*to*, Sed, praecipue poſt primum vini tentamen, in omni ancipiti caſu, illius effectus ſedulo perpendendi ſunt: Si enim non adaugentur ſymptomata; ſed multum reficitur et levatur aeger; ſi pulſus plenior et tardior evadit; ſi calor et anxietas minuitur, vel aliquatenus mitigatur delirium; vinum confidenter exhibere non dubitabit medicus.—De genere vini ſi quaeratur, Burdigalenſe (*claret*), et Rhenanum (*Rheniſh*), Hiſpanicis et Luſitanis anteponenda ſunt; quippe quod his ultimis, ut plurimum, plus ſpiritus admiſcetur, ideoque magis inflammatoria et calida ſunt. In genere, praeſtat vinum aqua dilutum prius exhibere quam ſincerum; ideoque ſaepius aſſumitur, una cum ſero lactis, cum pane, aqua, et ſaccharo, (Anglice *panada*,) aliiſve hujuſce generis. Verum, hoc in propoſitum, frigida aqua his omnibus fere anteponenda eſt; quia, in genere, ubicunque vinum proderit, proderit etiam vis tonica frigidae. Nec tamen

hoc ſemper verum eſt; ut patet ex epidemica quae in hac urbe etiamnum graſſatur; ubi, quoniam catarrhi ſymptomata febrem comitantur, etiamſi proſit vinum, vix impune exhiberi poteſt frigida.

Antispasmodica, ſcilicet opium, camphora, moſchus, et alkali valatile, de quorum remediorum operatione multum adhucdum ambigitur. Mihi quidem in dubio eſt, an huc proprie referantur; quoniam tamen animus eſt, ea omnia enumerare remedia, quae ullius ſunt momenti in febrium curatione, et quoniam mihi perſpicue non videbatur, quo potiori jure referrentur, ſub hoc titulo ea peragere libet.

Opium evidenter ſedans et antiſpaſmodicum, ſimul et ſtimulans eſt, ex qua virium combinatione generalis conſtituta fuit inter medicos regula, opium nempe nocere omnibus inflammatoriis morbis; et experientia, plurimis in caſibus, hanc regulam confirmavit. Maxime igitur dubii uſus reperitur opium, initio omnium febrium, ubi inflammatoria praevalet diatheſis. Sed novimus non paucos extare caſus febris, ubi frigus, ſtimulantia, et cortex Peruvianus, maxime proſunt, ubi quoque opium cum emolumento exhiberi poteſt. Ac illius in genere uſui modum accurate ponimus, ſic ut vini, ut ut major ſit difficultas. Propterea igitur, quod opium ſedans eſt remedium, omnibus irritationibus, quae non ſunt inflammatoriae, et ſpaſmodicis omnibus in effectibus, optimum eſt remedium. Delirium, quod, ut jam obſervavi, maniacum refert, largis illius

doſibus

doſibus ſaepe fugatum eſt; necnon caetera ſymptomata mitigata ſunt: Cave tamen, ut de vino monebamus, ne diagnoſis nimis dubia ſit. Minoribus autem doſibus cor et arterias magis ſtimulat opium, ſudorem movet, et ſpaſmum tutius quam alia ſtimulantia, minus antiſpaſmodica, ſolvere poteſt. Exinde ſuſpicamur, quotieſcunque inflammatoria diatheſis abeſt, opium frequentius exhiberi poſſe, quam vulgo ſit. Ac quidem in alexipharmicis, quae prius uſque adeo apud medicos in uſum venerant, opium praecipuum fuit remedium; nec facile ad exiſtimandum eſt, medicos ex illius uſu, non obſtantibus calidis et ſtimulantibus additis remediis, nihil boni reperiiſſe. Nuper autem fuit compertum, in calido intermittentium paroxyſmi ſtadio, opium, ut tutiſſimum ſymptomatum levamen, et ſpaſmi ſolutionem, et ſalutaris critici ſudoris fluxum, multum promovere. Porro, cum epidemicae febris natura jam nobis innoteſcit, paucos poſt paroxyſmos lethifera, ideoque, nec immerito, cum ſudorificis aggredimur, opium inter omnia, et potentiſſimum ſimul et tutiſſimum, praecipue ſi neutris ſalibus et emeticis admiſceatur, ut in Doveri pulvere. Rurſus ſymptomatica diarrhoea non critica, vel dolorifici tumores in ſuppurationem abeuntes, vel catarrhales affectiones cum febre complicatae, opium ſaepe poſtulant. Demum, febre diſcedente, et aegro debili et irritabili, admodum anxio et inſomni, laudanum

danum ſopiendo vires reficit. Immo, et poſt primam exhibitionem, non raro ab ipſo ſollicite poſcitur.

Camphora incertiſſimi eſt uſus; ſedat et refrigerat; nec aeque ſtimulat ac opium. Parvis doſibus, ut vulgo exhibetur, nullos habet affectus: At, ſi minore doſi aſſumatur, quam quindecim vel viginti granorum, nihil ſenſibus obvium efficit; immo et aliquando, ad drach. ſem. exhibita, iners omnino evaſit; cum contra non deſunt exempla, ubi, ad duos ſcrupulos aſſumpta, fere mortem induxerit. At, a clinicis profeſſoribus in Noſocomio Edinenſi, ne in uno caſu, toto trium annorum decurſu, quidem hoc adhibitum fuiſſe remedium memini. Et quoniam nauſeoſum eſt, injucundum, et incertum, apud medicos pleroſque male audit. Si ullo in caſu, in maniaco crediderim delirio, commodi quid inde perceptum iri, modo largis doſibus ingeſtum ſit.

Moschus utile eſt remedium, modo ſincerus ſit et bonus. Saepe in febribus, idque haud ſine ſucceſſu, adhibitum fuit. Antiſpaſmodica enim vi praeditus videtur. Doſis eſt quindecim vel viginti granorum, infra quam nil niſi *placebo*, ut dicunt, eſſe putarem. Ubi utilis evadit, ſomnum conciliat et ſudorem elicit. Quae nos dirigunt in adminiſtratione opii et vini, eadem principia moſchi itidem uſum vel prohibebunt vel ſuadebunt. Quoniam autem minor ſit hujus quam opii ſtimulus, in dubiis caſibus liberius et tutius exhiberi poteſt. Speciatim prodeſt, ubi

ubi irritationis ſymptomata, delirium et ſubſultus tendinum, adſunt; remota inflammatoria diatheſi.

Castoreum inter ſedantia vulgo reputatur; quo jure tamen, mihi ex optimorum medicorum auctoritate multum in dubio eſt; ſaepe noxio inventum fuit ſtimulo pollere.

Alkali volatile ſtimulat et ſpaſmum reſolvit, forſan ad ſtimulantia potius referendum eſt. Illius tamen ſtimulus tutus, tranſitorius, et facile in totum ſyſtema diffunditur. Praeterea, quoniam ſtomachus raro vel nuſquam acido prorſus careat, neutralis exinde conficitur ſal, effectibus quoque haud inutilis. Ubi praevalet languor et debilitas, ab omnibus medicis illius commendatur uſus; et poſt vinum optimus eſt ſtimulantium. Pringelius et Monro illud et vinum alterna vice exhibent. Cumque Pringelius probaverit, eximium eſſe antiſepticum; Huxhamio timenti, ne putrefactionem promoveat, non fidem habemus. Immo, et in putridis febribus, ſub circumſtantiis jam memoratis, Monro hoc optimum exiſtimat remedium.

III.

De Exceſſu ſepticorum virium tollendo.

Quoniam remedia, quibus hoc fit, jam tractavimus, ea nunc ſeligemus tantum, quae experientia optima

ma probat. Nec animus eſt hic totam putrefactionis doctrinam peragere, quippe quae nos in intricatiorem inveſtigationis labyrinthum duceret, quam res poſtulat. Satis ſit igitur obſervare, ſapientem Naturam, variis fluidorum noſtrorum motibus, frequenti dulcis et aceſcentis chyli renovatione, variiſque excretionibus, putrefactioni obſiſtere, modo perſtet firma valetudo. Obſtantibus licet hiſce, ſeptica tamen contagia humano corpori ſaepe putredinem inferunt. Quotieſcunque igitur ſe res habet, illius remotae cauſae ſedulo vitandae ſunt. Cavendum eſt igitur ab exceſſu ſtimulantium virium, quibus adaugetur calor et putredo, mediis jam memoratis, ſaltem quantum naturae febris adaptantur. Contagio vel miaſmata ex humano corpore, ex putridis, vel ex paludibus, orta, ſaepe funeſtiſſima mala inducunt. Inde major febrium malignitas in depreſſis et paludoſis regionibus, in carceribus, caſtris, noſocomiis, &c. ubi et effluvia aegros undequaque circumdant. Inde neceſſitas, ut Lindius obſervavit, removendi exercitum, tali febre laborantem, ex humili ſede in altiorem et apertiorem tractum; vel ſaltem aegros in naves collocandi, cujus conſilii ratio et uſus commodum ſatis comprobarunt. Privatis autem in familiis, aperire feneſtras, et cubiculum frequenter ventilare, multum proderit, quod ſanos ſimul a contagio muniet, et aegros e morbo ſanabit. Idem

in

in propoſitum prudentis erit medici induſium et veſtes febricitantis saepe mutandas, et omnigenas excretiones putridas immediate removendas, curare. Quae in primis viis continentur, ſi ſtagnant, ad putrefactionem facile tendunt; quae ideo hac in febris forma in alimentari canali ad magnum uſque gradum procedit. Quapropter omnino neceſſarium eſt alvum antiſepticis et antiphlogiſticis remediis ſemper laxare. ——Supra ſatis dixi de mediis quibus ſudor in febribus malignis et putridis moveri poteſt, ut et de tempore et modo quo adminiſtranda ſunt.—Antiſeptica hic omnino requiruntur. Frigus, calorem moderando, et vim tonicam inſuper exſerendo, putrefactioni efficaciter obvenit. Copioſa itidem dilutio putredinem in primis viis obtundit; et, quoniam excretoria aperiat vaſa, ex ſanguine eliminat. Diaeta aquoſa Italorum eodem modo operatur, et ſpaſmum inſuper ſolvit.—Conveniunt quoque vegetabilia alimenta, aceſcentia et acida, quorum, ob rationes allatas, vegetabile foſſili anteponimus. Profunt etiam neutri ſales, quatenus diaphoretici, diuretici, refrigerantes, immo et aliquantulum antiſeptici.—Amara, aromatica aſtringentia, in putridis febribus uſus ſuſcepit, quaſi antiſeptica; ſed ea, parva qua exhibentur doſi, vix credibile videtur, poſſe hoc modo operari in totam ſanguinis maſſam; longe quidem veroſimilius eſt, ea quaſi tonica agere. Frigus autem et cortex Peruvianus omnibus aliis tonicis praeſtant. Vix operae pretium eſt repetere maximam et debilitatem et atoniam

his

his in febribus evidenter ſeſe manifeſtare, muſculares cordis et arteriarum fibras praecipue afficere, et ita extremorum vaſorum tonum frangere, ut rubri ſanguinis in varias corporis partes effuſionibus detur locus. Diſſectione patuit, has effuſiones praecipue fieri in parachymatoſam internorum viſcerum ſubſtantiam, ubi, ex ſtagnatione, aucta et corruptione, generari demum poteſt nervoſo ſyſtemati lethiferum venenum. Quoniam igitur haec atonia et debilitas putrefactioni maxime favet, quam primum illius exſtiterint ſymptomata, ad corticem Peruvianum, ſimplicis pulveris forma exhibitum, magnis doſibus, quantum ſtomachus ferat, ut et ad frigidum potum, necnon frigidi aeris liberum acceſſum, confugiendum eſt.

Et haec ſatis ſint. Nihil reſtat, quod amplius addam, niſi ut ultro fatear, plurima me Academiae Edinburgenſi debere; plurima equidem magno Culleno, cujus praecipue doctrinae quaſi compendium, de febribus medendis, in medium, imperitiſſima, vereor, manu, proferre conabar; plurimaque excellentiſſimis reliquorum profeſſorum praelectionibus. Talium virorum verba recolere et praecepta, dum vivam, gratum erit opus. Iis vitae proſperitatem, gloriamque indies cumulatiorem, praebeat Deus Opt. Max.

F I N I S.